

rum licere dicat. Hunc errorem tribuit Prisciliano beatus Augustinus in libro de hæresibus. Priscilianitæ enim (ut ibidem refert Augustinus) docebant discipulos suos, ut juramento interrogati & requisiti nihil unquam revelarent de illorum doctrina, & ad illius doctrinæ occultationem dicebant esse licitum perjurium: quapropter hanc semper in ore versabant sententiam: Jura, perjura, secretum prodere noli. Hunc eundem errorem tenuerunt quidam hæretici tempore beati Bernardi, de quibus ille mentionem facit sermone 65. & sermone 66. super Cantica; & dicit illos vocari Apostolorum. Eundem errorem (ut catalogus hæreticorum refert) rotati sunt impii Flagellantes. Hic error manifeste convincitur per id quod Dominus in Levitico cap. 19. ait: *Non pejerabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.* Qui enim pejerat, nomen Dei polluit, quia Deum adfert in testem mendacii. Quid autem magis pollutum aut turpe esse potest, quam mendacio favere? Præterea; Sapiens recensens peccata hominum potissimum gentilium, inter illa etiam ponit perjurium, dicens: (Sap. 14.) *Omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, furtum, & furtio, corruptio, & infidelitas, turbatio, & perjurium, &c.* Et beatus Paulus dicens iusto non esse legem impositam, sed impiis & peccatoribus, & sceleratis, poëta subdit: (1. Tim. 1.) *& mendacibus & perjuriis.* Ex quo aperte colligitur perjurium esse lege divina prohibitum. Deinde causa ipsa propter quam dicunt licere perjurium, pessima est. Dicunt enim ideo esse licitum pejerare, ut videlicet non reveleat aliis eorum doctrina. Tunc percontari illos oportet, an doctrina sua sit Evangelio conformis, an illi contraria? Si est Evangelio contraria, non sunt ergo veri Christiani qui illam docent. Si est Evangelio conformis, cur ergo illam occultant? Cur apud seipso solos illam recondunt? Christus namque ait: (Matth. 10.) *Quod dico in tenebris, dicite in lumine: & quod in auro audistis, prædicate super tecta.* Et cum Evangelii prædicationem discipulis suis commendat, ait: (Matth. ult.) *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturae.*

FINIS LIBRI OCTAVI



Non solis Priscilianitæ aut solis Apostolicis, aut solis sese Flagellantibus, sed omni creaturæ: Non enim vult suam legem solis Judæis revelari, ut in sola Judæa sit notus; sed vult esse notus toti mundo. Ideo vult suum Evangelium esse omnibus apertum, quia vult omnes nos in agnitionem veritatis pervenire. Ideo Apostolus ait: (1. Cor. 4.) *Si opertum est Evangelium meum, in his qui percutiunt est opertum.* Pereant ergo Priscilianitæ & Apostolici, qui Evangelium occultare volunt. Et alibi idem Apostolus ait: (Roman. 10.) *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ut autem quisque salutem animæ suæ acquirat, oportet eum ita ore confiteri, quemadmodum credit corde. Adversus tam apertam hæresim non est opus plura adferre.

Beatu Augustinus in libro de hæresibus capite 82. asserit Jovinianum sensitse eum qui semel per lavacrum regenerationis fuerit justificatus, non posse amplius peccare. Et beatus Hieronymus libro secundo adversus Jovinianum hoc idem illi impingit. Hunc eundem errorem docuisse Pelagium testatur etiam Augustinus in eodem libro de hæresibus capite 87. Adversus hunc errorem jam supra in titulo de gratia, hæretici secunda disputavimus; quapropter non est opus de hac re amplius differere.

Alius est error Lutheri, dicens iustum in omni bono opere peccare. Verum de hoc errore infra in titulo de operibus; & in titulo de peccato longius differemus. Ad illum ergo locum mitimus lectorem.

Tertia hæresis ad hunc locum spectans est, quæ asserit omnem iustum esse certum suæ justificationis, & esse ex fide Catholica obligatum ad habendum hanc certitudinem, ita ut si de illa dubitet, non possit vere dici fidelis Christianus. Hujus hæresis primus inventor est Lutherus, sed adversus hanc hæresim nihil nunc dicere oportet, quia fatis contra illam disputavimus in titulo de Gratia, hæresi tertia.

F. ALFONSI DE CASTRO MINORITÆ
ZAMOREN. MINORITÆ.
ADVERSUS HÆRESES.
LIBER NONUS.
LABOR.



LERE olim in Syria monachi dicentes nullum manuum laborem esse monachis licitum, etiam sustentandæ vitæ causa. In hoc enim fuisse monachos profitebantur, ut ab omni labore manus vacantes, orationi semper insisterent. Hujus hæresis auctores vocantur lingua Syria Psalliani: fise enim eos non nominat Augustinus in libro de hæresibus cap. 57. Verum historia tripartita lib. 7. cap. 11. de istis hæreticis differens, eos appellat Messalianos, & dicit eos vocari Græce *enchitæ*, hoc est, orantes, eo quod semper orandum esse dicebant. Vocantur etiam ibidem *enthotista*, id est, sacrificantes. Eundem errorem rotati sunt alii monachi parum postea in Africa, præsertim apud Carthaginem, ut patet ex Augustino in libro de opere monachorum. Nam in principio illius operis testatur se illum librum scribere ad instantiam Aurelii tunc Carthaginensis Episcopi pro expugnatione hujus erroris, qui tunc in Carthagine oriebatur. Hunc errorem jam diu sepultum ab inferis suscitarent Vvaldenses, dicentes virum perfectum non debere manibus laborare. Hoc enim Vvaldensibus impingit Guido in sua summa de hæresibus. Verum Aneas Sylvius lib. de origine Bohemorum cap. 35. Vvaldensium errores recensens, hujus erroris non meminit. Hic error aperte convincitur ex eo quod Paulus Apostolus qui merito inter perfectos numerari debet, propriis manibus laboravit. Nam quamvis posset non laborare, & sine labore vivere de Evangelio, quoniam ii quibus prædicabat, renebantur eum alere: ipse tamen ut illos, quibus Evangelium prædicabat, non gravaret, voluit propriis manibus laborare, ut ex suo labore victum acquireret. Sic enim ipse in priore epistola ad Corinthios cap. 9. ait: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? Et qui altario deserviunt, cum altario participant? Ita & Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum.* Si Paulus, qui poterat de Evangelio vivere, laborat, quanto magis monachi, qui non prædicant, tenentur manibus laborare? Sed hos ipsos monachos ociosos aperte reprehendit Paulus in secunda ad Thelalonienenses epistola cap. 3. dicens: *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non in quiete sumus inter vos, neque gratis panem manducabimus ab aliquo, sed in labore & fatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravemus: non quasi non haberemus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum essemus apud vos, hoc denuntiabimus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim quosdam ambulantes inter vos inordinate, nihil operantes, sed curiosè agentes.*

His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut con silentio operantes, suum panem manducet. Et in Epistola ad Ephesios cap. 4. iterum ait: *Qui surabatur, jam non furetur, magis autem labore operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.* Et in Actibus Apostolorum cap. 20. cum à Mileto mitens Ephesum, vocasset inde presbyteros Ecclesiæ, ait illis: *Argentum & aurum aut vestem nullius concupivo, sicut ipsi scitis, quoniam ea que mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus iste. Omnia ostendi vobis: quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatus est magis dare quam accipere. Ecce Apostolum Paulum propriis manibus laborantem, qui alios ut etiam manibus laborent, sæpissime hortatus est. Præterea omnes sancti viri qui modum aliquem vivendi in monasterio instituerunt, monachis suis præceperant, ut manibus laborantes, otium animæ inimicum vitarent. Nam de monachis Ægyptiis, loquens B. Hieronymus in epist. ad Rusticum monachum ita ait: *Ægyptiorum monasteria, hunc habent morem, ut nullum absque labore & opere suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne vegetur perniciosis cogitationibus, & instar fornicantis Hierusalem omni transeunt divaricet pedes suos.* Hæc Hieronymus. Hoc ipsum B. Basilus docet monachos, qui in regula monachorum capite 67. inducit monachos talem proponentes illi quæstionem, sic dicens: *Si ergo neque solitudinem habere oportet de necessariis usibus ad vitam, & aliud præceptum est Domini dicentis: (Joan. 5.) Operamini non cibum qui perit: nonne superfluum est manibus operari? Cui quæstioni respondens Basilus, ait: Ipse Dominus in Evangelio præceptum suum explicavit: (Matth. 6.) Nam ibi ipse qui dixit non oportere quæri aliud ad vitam, cum dicit: (Joan. 4.) Nolite quærare, quid manducetis, aut quid bibatis, hæc enim omnia gentes inquirunt, addidit: *Quærite autem regnum Dei, & justitiam ejus.* Et quomodo oporteat quæri, indicavit. Cum enim dixisset: *Nolite operari cibum qui perit, addidit, sed eum qui permanet in vitam æternam.* Et hoc quid esset, ostendit in alio loco, dicens: *Mous cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me patris. Voluntas autem patris est esurientibus cibum dare, sitientibus potum, nudos cooperire, & cætera hujuscemodi.* Tum deinde necessarium est & Apostolum imitari dicentem: (Act. 20.) *Omnia ostendi vobis, quia laborantes oportet suscipere infirmos.* Et cum iterum docet: (Ephes. 4.) *Magis autem labore uniusquisque manibus suis, operans quod bonum est, ut possit impartiri necessitatem patientibus.* Cum**

Cum vero hæc ita nobis vel in Evangelio Dominus, vel Apostolus tradat, manifestum est quidem, quod pro nobis quidem solliciti esse non debemus, neque laborare: propter mandatum autem Domini, & propter necessitatem proximorum solliciti esse debemus, & operari, attentius, & maxime quia Dominus in seipsum recipit ea, quæ in servos ejus fecerimus, & regnum celorum pro hujusmodi promittit obsequiis. Hincufque Basilus. Ex cuius verbis constat illum hoc injungere monachis, ut laborent, non tam propter sui victus necessitatem, quam ut mandata Dei possint laborando implere, & de labore suo proximorum necessitati subvenire. Beatus Benedictus in regula sua ait: „Otiositas inimica est animæ, & ideo certis temporibus occupari debent fratres in laboribus manuum, certis iternam horis in lectione divina, idcirco hæc dispositione credimus, utraque tempora ordinari, id est, ut à Pascua usque ad Kalendas Octobris mane exeuntes à prima, usque ad horam pene quartam laborent, quod necessarium fuerit, ab hora autem quarta, usque ad horam sextam, quasi lectioni vacent. Et aliquibus interjectis subdit: Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges legendas per se occupentur, non contristentur, quia tunc vere hi monachi sunt, si labore manuum suarum vivant, sicut & patres nostri, & Apostoli. Omnia tamen mensurate fiant propter pauperes. Hæc beatus Benedictus monachis suis in regula præcipit. Similiter etiam Seraphicus Pater Sanctus Minorum fratrum institutor, in regula sua, capite sexto. „Fratres quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devote, ita ut excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis, & devotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deferre. De mercede vero laboris pro se, & suis fratribus corporis necessaria recipiant præter denarios, vel pecuniam, & hoc humiliter, sicut decet servos Dei, & paupertatis sanctissimæ sectatores.“ Hæc in regula sua Sanctus Franciscus. Et in testamento suo iterum ait: Et ego manibus meis laboravi, & volo laborare, & omnes alii fratres firmiter volo, quod laborent de laborio, quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt, addiscant, non propter cupiditatem lucri, sed propter bonum exemplum, & ad repellendam otiositatem. Hæc Sanctus Franciscus in testamento suo. Demum Concilium Cartaginense quartum perspicens, quam noxium sit corporis otium omnibus Clericis, præcipit ut manibus suis laborent. Nam quinquagesimo secundo capite suorum decretorum præfatum Concilium, tale statuit decretum, dicens: Clericus victum, & vestitum sibi vel artificulo, vel agricultura absque officii sui dumtaxat detrimento præparet. Et capite sequenti iterum ait: Omnes Clerici qui ad operandum validi sunt, & artificiola, & litteras discant. Hæc Concilium Cartaginense quartum. Cujus definitioni expedit credere magis, quam otiosis Messalianis, aut idiotis Vvaldensibus. Sed jam opus est, ut videamus, quo argumento suam teneant hæresim Messaliani. Primo enim pro se citant illud, quod Salvator noster apud Joannem ait: (cap. 6.) Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Secundo obijciunt, quod Dominus Martham de hoc labore reprehenderit, dicens: (Luc. 10.) Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Et apud Matthæum (cap. 6.) eandem sollicitudinem omnibus inhibuit, cum ait: Nolite ergo solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?

Et iterum: Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipse. Et certe hæc sacra scriptura loca non ita sunt intelligenda, ut Messaliani putant, credentes Christum per illa verba omnem prohibuisse laborem. Qualiter autem sint interpretanda, beatus Basilus docet in illis verbis quæ supra ex illo citavimus. Verum clarius eorum intellectum adversus Messalianos pandit Theophylactus, qui in expositione super Evangelium Joannis exponens illa verba, quæ nunc proxime ex Joanne citavimus, ita ait: „Nam quia multi sunt cupientes ignavi vivere, & maxime Messaliani, qui usque sunt hoc dicto ad patrocinium suæ ignaviae, operæpretium fuerit declarare hoc dictum. Non enim hoc dixit Dominus noster Jesus Christus, ut corporalem quidem operationem ab eis velit amovere, & ipsos ad otium cogere. Omnem enim malitiam docuit otiositas: (Eccl. 33.) & si oportet evidenter dicere, ipsum otiose vivere, cibus est qui perit: & ita eum qui Christum sequitur, oportet operari, ut habeat quod & aliis communit. Hoc enim habet mercedem, & promissionem futuri regni. Et paucis interjectis, respondet ad alia duo quæ ex Matthæo & Luca pro Messalianis citavimus testimonia, dicens: Dictum ad Martham, non de opere est, & operatione vel otio, sed de temporis observatione, & ne tempus audiendi infumatur in occupationes parandorum ciborum. Persuadet igitur ei, ne perdat tempus doctrine frustra, propter occupationem in his quæ sunt ventris. Quod autem dicit, ne solliciti sitis, neque hoc dicto operationem rejecit. Aliud enim sollicitus est, & aliud operatio. Fieri enim potest, ut sollicitus non sit qui operatur. Docet igitur nos Dominus ne adducti simus curis vitæ, neque habeamus curam, quomodo cras refocilemur, & vult ut unoquoque die operemur, dicens: Ne solliciti sitis de crastino. Quasi in hunc modum dixerit: Ne solliciti sitis quomodo hodie operando, cras quiescat, sed quotidie cibum quotidianam operatione parantes, ne solliciti sitis de crastino.“ Hincufque Theophylactus. Ex cuius interpretatione constat Messalianos suo ipsorum gladio interimi. Nam ex eodem dicto Matthæi, quod illi pro se citantur, eorundem ignavia rearguitur. Adversus hanc hæresim scripsit beatus Augustinus librum unum, cui titulus est, De opere monachorum. Et Joannes Cassianus lib. 10. de institutis Cenobiorum, à cap. sep. usque ad finem libri nihil aliud agit, quam ostendere necessarium esse monacho, ut aliquid manibus suis operetur, ut per operationem amputentur vitia quæ gignit otiositas.

Secunda hæresis est quæ cum hæc proxime enarrata velut ex diametro pugnat, asserens omnes monachos, absque ullo discrimine teneri ad laborem manuum, ut ex illo sibi victum acquirant: nec posse illos alio modo sibi victum parare, quam per laborem manuum. Hujus hæresis primus auctor fuit quidam Vvilielmus de sancto Amore, acerbissimus hostis monachorum mendicantium. Hic dixit omnes monachos, qui non habeant proprium communitatis unde viverent, debere laborare manibus suis, ut inde victum sibi acquirant. Hanc & alias hæreses docuit sub Alexandro Papa, hujus nominis quarto, à quo etiam damnatus fuit, per bullam quæ incipit Romanus Pontifex.

Post istum successit Joannes Vvicleph, qui Illicio destructa, fortiori reardiscare cupiebat. Hic enim non solum de mendicantibus monachis, sed de omnibus aliis

sine

sine ullo discrimine locutus est, dicens omnes monachos debere per laborem manuum victum, & vestitum sibi parare. Lutherus autem & sui complices modestius hunc docent errorem, quoniam eos qui prædicationi verbi Dei student, nolunt arctari ad laborem manuum: reliquos autem omnes cogunt, ut artificulo aliquo victum sibi acquirant: neque ullo pacto ex mendicatio vivere apud Lutheranos licet. Et certe si de labore manuum monachis injungendo, cum debita discretione loquerentur, non hic eos vocaremus in contentionem: quinimo convenirent inter nos de hac re, quoniam ut in proxime præfata hæresi docuimus, summe necessaria est monachis laboriosa aliqua operatio. Verum cum dicant omnes sine discrimine debere laborare, ideo eos nunc merito de hæresi notavimus: quoniam ex Christi & Apostolorum doctrina convincimus, esse plures monachorum conditiones, qui ad hunc laborem non tenentur: sed beati tales monachi esse possunt etiam si non manducaverint de labore manuum suarum. Quis erit adeo crudelis in proximum, ut eum qui infirmatur, & morbo laborat, cogere velit ad laborem? Nullus certe, nisi talis sit, qui nolit aliis facere quæ sibi vellet fieri. Sufficit enim (inquit Salvator Mat. 6.) diei malitia sua. Sufficit enim morbus ipse, nec justum est, ut supra morbum quem parit, aliud illi superponatur onus, quod cum ferre non possit, necesse sit, ut aut ipsum rejiciat, aut suscipiens confringatur. Nec tamen hic dicimus infirmos eos solum, qui tunc morbo premuntur, sed etiam eos qui est bene valeant aliquando, tamen sæpe post aliqua intervalla recidunt, quos medici valedudinarios appellant. Nam de talibus erat Timotheus, qui infirmitatem stomachi, & alias frequentes infirmitates patiebatur. Sic enim illi scribens Paulus ait: (1. Tim. 5.) Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas. Frequentes dixit, non continuas. Nam si continua infirmitate laborasset, Paulus qui tanta charitate ardebat, ut quocumque alio infirmante ipse infirmaretur, non injunxisset illi prædicationis laborem, curam animarum, ministerium viduarum, quæ omnia mediocrem saltem hominis valedudinem exigunt. Timotheus erat labori, statim Paulus subjunxit: (Ibidem.) Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere. Quibus verbis non illi laborem manuum, ut aliis facere solebat, suavit: sed modum illi ostendit, qualiter absque labore manuum de Evangelio vivere possit. Et cum Mileti esset Paulus, omnes presbyteros, quos ad eum locum ex Epheso asciverat, docuit ut infirmi alerentur ex aliorum labore. Omnia (inquit Act. 10.) ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos. Ecce Paulum docentem, ut per laborem eorum qui bene valent, alantur infirmi. Unde Prosper in libro de vita contemplativa, cap. 11. sic ait: „Ipsi quoque pauperes si se possint suis artificijs, aut laboribus expedire, non præsumant quod debilis, aut infirmus debet accipere, ne forte Ecclesia, quæ potest omni solatio desituitis

Tom. I.

necessaria ministrare, si omnes etiam nihil indigentes accipiant, gravata illis quibus debet subvenire non valeat.“ Hæc Prosper. Patet jam non esse justum, ut infirmi cogantur ad laborem, quem tolerare non possunt. Simile quid sentit beatus Augustinus de divitiis, qui molliter, & delicate in sæculo educati, omnibus spreis, monasterium intraverunt, ea quæ habebant, pauperibus Christi distribuentes. Nam hos, eo quod mollius nutriti, & laboribus minime assueti, laborem ferre non possunt, beatus Augustinus sentit, non ad laborem cogendos. Sic enim in libro de opere monachorum, cap. 25. ait: „Quamobrem etiam illi qui relicta, vel distributa, inter pauperes Christi pia, & salubri humilitate, te numerari voluerunt, si corpore ita valent, & ab Ecclesiasticis occupationibus vacant, quamquam eis tam magnum animi sui documentum adferentibus, & eisdem societatis indigentia de his rebus, quas habebant, vel plurimum, vel non parum conferentibus, vicem sustentandæ vitæ eorum res ipsa communis, & fraternæ charitatis debeat: tamen si & ipsi aliquid manibus operentur, ut pigris ex vita humilior, & ob hoc exercitatione venientibus auferant excusationem: multo misericordius agant, quam cum omnia sua indigentibus dividerent. Quod quidem si nolunt, quis audeat cogere? Quibus tamen inveniendæ sunt opera in monasterio, etiam si à corporali functione liberiora, sed vigilant administratione curanda, ut nec ipsi panem suum, quoniam jam communis factus est, gratis manducent. Nec attendendum in quibus monasterijs, vel in quo loco indigentibus fratribus quisque, id quod habebat impenderit. Omnium enim Christianorum una respublica est.“ Hincufque Augustinus. Ex cuius verbis patet eos non esse in monasterio ad laborem cogendos, qui cum monasterium intraverunt, substantiam hujus mundi habebant, quam pauperibus distribuerunt. Et eandem sententiam prius ex Pauli sententia confirmat, cap. 16. sic dicens: „Excepta ergo hac potestate, quam verbi Dei prædicatores habere, in eos quibus prædicant, sæpe testatur Paulus, etiam sanctis qui omnia sua vendita distribuerebant, & Hierosolymis habitabant in sancta communione vitæ, non dicentes aliquid proprium, quibus erant omnia communia, & animæ, & cor unum in Deum, ab Ecclesiis gentium necessaria confecti præcipit, & hortatur. Inde est & illud ad Romanos: (cap. 5.) Nunc (inquit) pergam Hierosalem ministrare sanctis. Placuit enim Macedonia & Achaia communionem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Hierusalem.“ Hæc Augustinus. Alii sunt etiam qui non minore, immo forte meliore, aut saltem nobiliori iustitia possunt, absque labore manuum suarum vitam suam transigere. Hi autem sunt Prædicatores verbi Dei, & omnes Doctores, qui verbo, aut scripto alios docent legem Dei. Non enim interest, qua via aliquis doceat, videlicet verbo, an scriptura, si tamen de lege Dei doceat. Hos omnes posse absque labore manuum manducare, convincitur ex hoc, quod potestatem habent à Domino accipiendi, ea quæ sunt ad vitam necessaria ab illis quos docent.

Nam cum Christus mitteret Apostolos suos ad prædicandum, dixit illis: (Matth. 10.) Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, neque calcamenta, neque virgam. Dignus est enim operarius cibo suo. Propterea

Eccc

enim

enim inhibuit illis hæc omnia, ut cum illis egerent, ab eis acciperent, quibus verbum Dei prædicarent. Verum ne quis putet hæc potestatem solis Apostolis fuisse colatam, audiat quid Lucas Evangelista de aliis prædicatoribus (cap. 10.) dicat: *Post hæc (inquit ille) designavit Dominus, & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus: & dicebat illis: Messis quidem multa, operari autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calcamenta, & neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicitur: Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescat super illum pax vestra. Sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. Ecce jam vides idem concessum esse septuaginta duobus discipulis, quod prius duodecim Apostolis fuerat concessum. Quod si dicat quis, hæc potestatem solis pastoribus fuisse datam, & non aliis quibus prædicationis onus non est injunctum, sed ipsi se ingerunt ad prædicandum, facile hoc rejecit, quisquis bene circumspexerit hæc potestatem vivendi ex Evangelio, non esse fundatam in officio pastoris, sed in sola prædicatione verbi Dei, neque ex aliqua alia re pendere, quam ex officio prædicationis. Si ergo in ipsa prædicatione tantum laborat monachus non habens pastoris officium, sicut alius sæcularis pastor, aut curatus: cur non etiam habeat cibum suum, aut mercedem suam sicut alius? Dignus est enim (inquit Christus (Matth. 10.) operarius cibo suo. Et iterum: (Luc. 10.) Dignus est operarius mercede sua. Adverte quod utrobique dixit operarius, non autem dixit prælatus, aut pastor, aut curatus, aut præpositus, sed ut innumeret mercedem esse debitam operi, & non prælationi, dixit operarius. At cum monachus prædicat, etiam est operarius, sicut quisvis alius: ergo etiam illi merces debetur. Si enim qui ultro se offerunt, non tantum laborant, ut alii, justum est, ut etiam in æqualem mercedem habeant. Quod si major est eorum in prædicatione labor, cur non æqualem saltem mercedem habeant? Justius certe, quam isti hæretici optant, fecit Moyses, (Exod. 36.) qui non solum Beseleel, & Ooliab viris doctis, & à Domino electis ad faciendum opus sanctuarii, sed etiam aliis expertis viris, qui ad idem opus faciendum se ultro obtulerant, mercedem dedit, & illis sicut aliis distribuit donaria filiorum Israel. Verum isti hæretici tanquam Ægyptii vellent monachos Ægyptiaca & Pharaonica servitute premere, ut videlicet palea non detur, & eadem operis mensura exigatur. Volunt ut victus non detur prædicantibus, & prædicationis labor ab illis exigatur. Paulus Apostolus in ea quæ est ad Romanos epistola, (cap. 14.) ait: *Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent, & in carnalibus ministrare eis.* Et in priorè epistola ad Corinthios, (cap. 9.) iterum ait: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dixit? Scriptum est enim in lege Moysi: (Deut. 25.) Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hæc dicit? Nam propter nos utique scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Hu-**

cusque ibi beatus Paulus. Vereantur jam isti monachorum hostes alligare ora illis triturantibus. An forte monachus prædicans verbum Dei non plantat vineam, cum prædicat? Nonne Paulus propter prædicationem dicebat: ego plantavi? Numquid non monachus prædicans etiam pascit? Nonne etiam triturat? Si plantat, sicut illum de fructu vineæ commedere. Si pascit gregem, permittant ut de illius lacte manducet. Si triturat, nolint contra præceptum Dei os illius alligare. Et ad Timotheum scribens, iterum ait: (2. 2.) *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere.* Ecce jam vides prædicatores verbi Dei, ex divina sententia esse liberos ab obligatione corporalis circumdendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut solus ego, & Barnabas non habemus potestatem hæc operandi? Quis militat suis stipendiis unquam? Et interjectis aliquibus argumentis, quibus probat se habuisse potestatem vivendi ex Evangelio, prout ceteri Apostoli, subdit: *Ego autem nullo horum usus sum.* Et in secunda ad Thessalonicenses, (cap. 3.) iterum ait: *Ipse enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non in quiete sumus inter vos: neque gratias panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravavimus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Ex quibus aperte convincitur, quod licet monachi sint imitatores Apostolorum, non tamen oportet, ut omnes sine discrimine laborent: quoniam hoc non omnes Apostoli fecerunt, sed Paulus, qui non ex necessitate, sed ex perfectione se fecisse testatur. Secundo interjectis nobis illud, quod Paulus ad Thessalonicenses scribens, (Ibidem.) ait: *Nam cum essetis (inquit) apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Verum hæc obiectio nullum profus habet robur, si sequentia verba Apostoli adjungantur his quæ dicta sunt, quoniam ex illis quæ Apostolus subjungit, satis aperte ostenditur eum, non generali sententia inhibere cibum cuiuscumque non laboranti, sed solum otiosis, qui nullam profus habent occupationem per quam digni sint, qui panem manducet. Sic enim ait: *Audivimus enim quosdam ambulantes inter vos inordinate, nihil operantes, sed curiosos agentes. His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.* Ecce quibus loquitur Paulus, nempe ambulantes inordinate, nihil operantes, sed curiose agentibus, his inquam præcipit, ut in silentio operantes, suum panem manducet, & si quis laborare noluerit, non manducet. At monachi prædicantes verbum Dei, & altario deservientes, nonnihil operantur: ergo manducare possunt. Quod si illa Pauli verba omnes monachos obligarent, eadem lege obligarent omnes Christianos, quoniam Apostolus Thessalonicensibus scribens, non solum monachis scripsit, nec ibi ullam de monachis fecit mentionem, sed sine discrimine omnibus scribit: nec tamen illa verba ad omnes dirigitur, sed ad eos solos, qui otiosam vitam degunt, quos nos etiam fatemur indignos esse, qui manducare debeant. Adversus hunc errorem scripsit frater Thomas Vvaldensis in suo primo tomo doctrinalis fidei antiquæ, libro quarto.*

autem obiectio respondemus fatentes Paulum laborasse manibus suis, nec tamen hoc ex necessitate, aut obligatione fecit, sed ex perfectione, & supererogatione. Nam etiam si non laborasset manibus suis, sed voluisset ex Evangelio vivere, non peccasset, cum constet Petro, & aliis Apostolos, absque labore manuum de solo Evangelio victum sibi parasse. Hoc autem ipsemet Apostolus Paulus testatur, qui in priorè ad Corinthios epistola, (cap. 9.) sic ait: *Misa defensio apud eos, qui me interrogant, hæc est. Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi? Numquid non habemus potestatem societorem mulierculam circumdendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? Aut solus ego, & Barnabas non habemus potestatem hæc operandi? Quis militat suis stipendiis unquam? Et interjectis aliquibus argumentis, quibus probat se habuisse potestatem vivendi ex Evangelio, prout ceteri Apostoli, subdit: *Ego autem nullo horum usus sum.* Et in secunda ad Thessalonicenses, (cap. 3.) iterum ait: *Ipse enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non in quiete sumus inter vos: neque gratias panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum gravavimus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Ex quibus aperte convincitur, quod licet monachi sint imitatores Apostolorum, non tamen oportet, ut omnes sine discrimine laborent: quoniam hoc non omnes Apostoli fecerunt, sed Paulus, qui non ex necessitate, sed ex perfectione se fecisse testatur. Secundo obiectis nobis illud, quod Paulus ad Thessalonicenses scribens, (Ibidem.) ait: *Nam cum essetis (inquit) apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet.* Verum hæc obiectio nullum profus habet robur, si sequentia verba Apostoli adjungantur his quæ dicta sunt, quoniam ex illis quæ Apostolus subjungit, satis aperte ostenditur eum, non generali sententia inhibere cibum cuiuscumque non laboranti, sed solum otiosis, qui nullam profus habent occupationem per quam digni sint, qui panem manducet. Sic enim ait: *Audivimus enim quosdam ambulantes inter vos inordinate, nihil operantes, sed curiosos agentes. His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.* Ecce quibus loquitur Paulus, nempe ambulantes inordinate, nihil operantes, sed curiose agentibus, his inquam præcipit, ut in silentio operantes, suum panem manducet, & si quis laborare noluerit, non manducet. At monachi prædicantes verbum Dei, & altario deservientes, nonnihil operantur: ergo manducare possunt. Quod si illa Pauli verba omnes monachos obligarent, eadem lege obligarent omnes Christianos, quoniam Apostolus Thessalonicensibus scribens, non solum monachis scripsit, nec ibi ullam de monachis fecit mentionem, sed sine discrimine omnibus scribit: nec tamen illa verba ad omnes dirigitur, sed ad eos solos, qui otiosam vitam degunt, quos nos etiam fatemur indignos esse, qui manducare debeant. Adversus hunc errorem scripsit frater Thomas Vvaldensis in suo primo tomo doctrinalis fidei antiquæ, libro quarto.**

L E X.

DE hac re fuit olim in ipsis Ecclesiæ nascentis primordiis quedam hæresis orta, asserens legem veterem juxta omnia illius præcepta esse servandam, simul

cum lege nova. Quis autem fuerit primus hujus hæresis auctor, mihi non constat. Hoc tamen scio, ex testimonio Philastrii, & Augustini in libro de hæresibus, Cerinthum, & Ebionem, & Nazaræos hæc docuisse hæresim. Verum nescio quis eorum fuerit verustissimus, quoniam Nazaræorum initium non est apertum, cum nullus prodierit quis fuerit illorum princeps. De Nazaræis hæreticis loquitur, non autem de illis quorum meminit liber Numerorum. De Cerintho, & Ebione constat utrumque eorum fuisset coævum Joanni Evangelistæ. Nam beatus Hieronymus in libro illustrium virorum, dicit beatum Joannem rogatum ab Asiæ Episcopis scripsisse Evangelium contra Ebionis dogma, asserentis Christum non fuisse ante Mariam, quapropter coactus fuit utramque Christi naturam, divinam videlicet & humanam, explicare. Irenæus vero libro 3. adversus hæreses, cap. 25. dicit quod Joannes, Domini discipulus in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum, exiit ex balneo de balneo non lotus, dicens quod timeret ne balneum concideret, cum intus esset Cerinthus inimicus veritatis. Itaque cum uterque horum fuerit Joanni coævus, non parè facile, ut illorum fuerit vetustior, aut uter prior altero hæc hæresim docuerit, quamquam ego suspicor Cerinthum fuisse aliquanto vetustiorē Ebionē, propterea quod Irenæus, libro 1. adversus hæreses recensens hæreticos, qui ad suum usque tempus Ecclesiæ vexarunt, prius de Cerintho differit, quam de Ebione. Nam de Ebione differit, cap. 26. & illi hæc, quam impræsentiarum discutimus, impingit hæresim. At de Cerintho tractat, cap. 25. nec tamen illi hæc hæresim tribuit. Sed nec Tertullianus de eodem Cerintho, sermonem faciens in suo libello de hæresibus, hujus erroris meminit etiam cum alios illius errores recenset. Philaster vero omnia illa tribuit Cerintho, quæ Irenæus ascribit Ebioni: dicitque idem Philaster Ebionem fuisse discipulum Cerinthi. Sed in distribuendis his hæresibus, ita ut cuiuscumque hæretico, quod suum est dogma tribuatur, multo libentius crediderim Irenæo, quam Philastro, propterea quod ille multo doctior, atque vetustior fuerit quam Philaster. Hanc hæresim rutati sunt etiam Samseï, & Elcesei, qui Ebionitarum dogma in universum amplexati sunt. Quapropter Epiphanius hæreses recensens (teste Augustino) Samseos, & Elceseos Ebionitis copulat, tamquam una sit eorum hæresis. Post istos autem nemo, quod sciam, hæc hæresim docuit, usque ad hunc diem, in quo audio, quosdam Germanos ex his qui Rheno adiacent, post susceptum baptismum circumcissionem tolerasse, dicentes circumcissionem esse necessariam ad vitæ æternæ consecutionem. Hos tamen omnes redarguit Paulus scribens Galatis, (cap. 3. (qui eodem errore fuerant infecti, dicens: *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex pedagagus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pedagogo.* Et iterum de duobus testamentis loquens, (Galat. 4.) sub figura duorum filiorum Abrahæ, ait: *Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus. Non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio liberæ. Itaque fratres non sumus ancillæ filii, sed liberæ, quia libertate Christus nos liberavit.* Ecce Palus aperte testatur ejicendam esse legem veterem, quæ tamquam ancilla fuit legis Evangelicæ. Et rursum in eadem epistola: (cap. 5.) *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini,*

Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Evacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini. A gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus. Nam in Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur. Et in epistola ad Hebræos, (cap. 7.) de eadem re disputans, ait: Si ergo consummatio per Sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso lege accipit) quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech, alium surgens Sacerdotem, et non secundum Aaron dicit? Translatio enim Sacerdotio, necesse est, ut et legis translatio fiat. Et iterum: Reprobatio quidem fit precedentis mandati, propter infirmitatem eius, et inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Demum de hac re ab ipsis Apostolis in unum congregatis, in illo celeberrimo Hierosolymitano Concilio data est definitio: quoniam (ut Apostolica refert historia (Act. 15.) quidam descendentes de Judæa docebant fratres, quia nisi circumcidamini secundum legem Moysi, non potestis salvari. Surrexerant enim quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, & dicebant oportere circumcidi, & servare reliqua omnia quæ Moyses in lege præceperat. Ob quam doctrinam facta est non modica seditio, resistentibus huic assertioni Paulo, & Barnaba. Propter quod Apostoli, & seniores convenerunt Hierosolymam, ut de hac re desinirent. Habitaque matura deliberatione, protulerunt sententiam, quam per epistolam suam miserunt, his qui erant Antiochiæ, in hunc modum: *Visum est enim Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: à quibus custodientes vos, bene agetis.* Hæc Concilium Apostolorum. Quis erit ergo, qui tam illustri Concilii definitioni repugnare audeat? Nullus certe, nisi demens, aut infidelis ille fuerit. Et certe si lege Evangelica data, oporteret adhuc servare legem veterem, contra eandem legem visus fuisset facere Deus, qui talem in Levitico condidit legem: (cap. 18.) *Sororem uxoris tuæ, in pelliculam ejus non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus, adhuc illa vivente.* Quæ quidem recte præcepta sunt, ne si forte aliquis, simul uxori & forori illius jungeretur, inter simul habitantes excitaretur zelus, unde contentio rixaque generata fuisset. Prius quidem synagogam sibi desponsaverat Deus: hujus soror est Ecclesia, quam etiam Deus, sibi conjungere optabat. Verum, ut nulla esset contentio inter eas occasio, noluit secundam superducere, vivente prima. Oportuit ergo synagogam tunc sepeliri, quando Deus Ecclesiam novam sponsam sibi desponsavit, ne inter sorores, simul habitantes emulatio esset, sicut olim Lia zelabatur Rachel. Nam cum ab illa perivisset Rachel, ut daret illi de mandragoris, quas filius ejus ex agro attulerat, respondit: (Genes. 19.) *Parum me tibi videtur, quod præripieris maritum mihi?* Quæ verba aperitissima sunt indicia urentis intrinsecus zeli. Hæc enim de causa (ut testatur Apostolus Paulus (Galat. 4.) ejecta est Agar ancilla cum filio suo, quia videlicet filius ejus Ismael persequabatur Isaac filium uxoris Saræ, propter quod Sara se despici quebatur ab ancilla. Verum posset forte hæreticus in suæ hæresis defensionem nobis objicere illud, quod in Exodo (cap. 28.) habetur, ubi post descriptionem vestis Sacerdotalis, qua Aaron erat induendus, subdidit Dominus per Moysen dicens: *Legitimum sempiternum erit Aaron, &*

semper ejus post eum. Et in Levitico (cap. 16.) præcipiens modum hostiæ, quæ debebat offerri pro peccato, dicit: *Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut orietis pro filiis Israel, & pro cunctis peccatis eorum solum in anno.* Ex quibus duobus locis, forte hæreticus vellet colligere legem Moysi esse observandam in perpetuum. Sed non ita res se habet: quoniam non ideo vocatur legitimum sempiternum, quia semper esset daturum, sed quia ad vitam quodammodo disponebat æternam. Vel aliter, & magis sententia melius, ideo dicitur sempiternum, quia era figura testamenti æterni. Itaque dicitur sempiternum non in se, sed in eo cuius figuram gerebat. Et glossa interlinearis in Exodo, sic exponit illam vocem sempiternam, quia (inquit) res significat æternas.

Secunda hæresis est primæ prioris opposita, assertens legem veterem esse malam. Hanc hæresim multi scriptores tribuant Manichæo, tamquam primo illius patrono: qua in re certissime falluntur, quoniam & si Manichæus fuerit illam turatus, non tamen ille primus eam docuit. Nam ante illum plurimum per centum annos fuit Marcion ponticus à quo Marcionitæ hæretici dicti sunt. Et hic docuit legem veterem esse malam, & à malo principio procedentem, quemadmodum docuit postea Manichæus. Hic autem Marcion discipulus fuit eujusdam, alterius hæretici Cerdonis nomine, quem Cerdonem Marcion in hac dementia imitatus est. Primus ergo hujus erroris auctor, & princeps fuit hic Cerdon, quem Irenæus libro primo adversus hæreses, testatur venisse Romam sub Iginio Papa & Martyre. Augustinus in libro de hæresibus, cap. decimo octavo, dicit etiam Cajanos hæreticos hanc docuisse hæresim. Hos tamen Cajanos Irenæus, libro primo, adversus hæreses comprehendit sub Marcionitis, quoniam de Martionis erroribus ibidem disserens, dicit eum coluisse Cain, reliquosque omnes errores tribuit Marcioni, quos Augustinus tribuit Cajanis. Unde suspicio mihi oritur Cajanos hæreticos à Marcione processisse. At cum Marcion, ut diximus, à Cerdone fuerit edoctus, oportet, ut huic Cerdoni præsentis hæresis principatum & magistrum tribuamus. Hujus autem assertionis perfidiam falsitas convincitur, ex Pauli testimonio in epistola ad Romanos, (cap. 7.) dicens: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi nisi per legem.* Cum multa Paulus de lege differens, ex quibus aliquis forte suspicari posset illum legem culpasse: ipsemet sibi objicit, quod vidit alium sibi objecturum. Dixerat enim prius passionem peccatorum esse per legem. Dixerat etiam nos esse solutos à lege mortis, in qua detinebamur. Dixerat etiam legem subintrasse, ut abundaret delictum. Quæ Pauli verba ansam suspitionis infirmis præbebant, Paulum in ea fuisse sententia, ut damnare voleret legem. Ad hanc igitur suspitionem tollendam Paulus sibi ipsi objicit, quod infirmi objicere sibi possent, dicens: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* (Exod. 20.) Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. (Deut. 5.) Quibus verbis Apostolus docet legem non esse malam, sed bonam, quamvis illa non fuerit sufficiens ad salutem sine gratia. Quapropter dicit legem non esse ad hoc datam, ut peccatum in homine efficeret, sed ut ostenderet, & revelaret hominibus illud, quod eis ignotum erat, esse tamen peccatum, an non. Multa enim erant, quæ etsi peccata erant, nesciebantur tamen esse peccata, aut nesciebantur esse adeo gravia, & tam atrociter puniendæ, nisi lex docuisset. Hoc ergo fecit lex, ut doceret hominem quid esset peccatum. Ex his multis unum producit Apostolus in exemplum. Nam concupiscentiam (inquit) nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces: hoc est, nesciebam concupiscentiam esse malum aliquod, donec audivi eam prohiberi per legem. Verum ne suspiceris hujus mali causam esse legem, non dixit: Concupiscentiam non habebam, nisi per legem: sed ait: Concupiscentiam nesciebam. Neque ait: Peccatum non feci nisi per legem: sed ait: Peccatum non cognovi nisi per legem. Ut clare intelligas, legem non ministrasse peccatum, sed peccati cognitionem. Est adhuc aliud in lege, quod ea data statim utitur & sollicitatur desiderio earum rerum, quæ per legem prohibita sunt. Et hoc est, quod Apostolus postea subjungit, dicens: *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Lex enim ad hoc data est, ut homo qui libertate sua abutens, per vitia singula rubeat in præceptis, fræno legis cohiberetur, ne ita improvidus in præcipitia labatur. At quia talis est nostra carnalis natura, ut ardentius desideret prohibita, quam si non prohiberentur: ideo dicit Paulus sumptam esse occasionem peccati ex prohibitione legis. Nam (ut quidam ait) Nitimur in ventum semper, cupimusque negata. Similiter & diabolus videns legem esse homini datam in auxilium, ut per eam tanquam per frænum homines cohibeantur à peccatis, tunc ille magis ad peccatum hominem sollicitat, & vehementius tentat, ut illi verat legem in nocumentum, quæ fuerat data, ut aliquod præfaret emolumentum. Unde patet quomodo occasione per mandatum accepta, fecit in nobis omnem concupiscentiam. Minor enim concupiscentia erat, quando ante legem securi peccabamus. Major erat, quando solam nostram movebat libidinem. Omnis est, quando cognita lege, illam transgredi nec timemus nec veremur. Verum hoc malum non ex lege, sed ex nostra provenit malitia, quæ medicinam convertit in venenum: quoniam cum ex lege proficere debuissimus, inde pejores efficiamur, appetentes quod lege prohibitum est. Lex enim non cogit ad peccatum, sed nos ea peccandi occasionem accipimus, quamvis talem occasionem lex ipsa non det. Ideo Apostolus non dixit: Occasione autem data, sed dixit: Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Ut clare intelligas à nostra provenire malitia, & non ex lege, cum lege data contra eandem legem facere desideramus. Hæc ergo & alia cum Paulus de lege docuisset, quibus ostendit legem non esse malam, postea subdit laudes legis, dicens: (Rom. 7.) *Itaque lex sancta quidem, & mandatum sanctum & justum & bonum.* In prioribus verbis Apostolus defendit legem à crimine, in his vero debitis laudibus eam extollit. Crimen objectum fuit per hæc verba: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Defensio criminis fuit in hoc verbo: Absit.* Nunc ergo Apostolus non fuit contentus eam à crimine defendisse, nisi etiam illam laudaret, ideo subdit: *Itaque lex sancta quidem, & mandatum sanctum, & justum, & bonum.* Per legem prohibitiones intelligit, per mandatum vero præcepta: & utramque sanctum esse docet. Præterea in priore ad Timotheum epistola cap. 1. iterum ait: *Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur, sciens hoc, quia lex iusto non est posita, sed injustis & non subditis.* Quod ait iusto, non esse postquam legem, idem est quod alibi dixerat, legem videlicet esse positam propter transgressores. Hoc autem sic accipien-

Advversus Hæreses Lib. VIII. 297

dum est, quia (ut diximus) lex data est tanquam frænum quoddam ad cohibendum homines à peccato. Cum ergo quis naturaliter ea quæ legis sunt, facit, & ipse sibi est lex, seipsum à peccato arcens, hic non habet opus lege, sed est tanquam equus bene domitus, & sessori obediens, qui ut bene dirigatur nullo indiget fræno. Lex propter transgressores posita est, ut per illam à transgressionem arceatur. Qui autem seclufa lege paratus est facere quæ lex præceptura esset, hic non habet opus lege. Verum etsi iustus illa non indiget, sancta tamen est lex per quam mali cohibentur à peccatis, & urgentur ad emendationem commissorum. Et hoc est quod ait Apostolus: *Bona est lex, si quis ea legitime utatur.* Hoc est, si faciat prout intendit ipsa lex, id est, si per illam perveniat ad gratiam justificantem. Legitime enim utitur legi, qui intelligens quare sit data, per ejus comminationem confugit ad gratiam liberantem; & ideo bona est lex, quia plurimum prodest homini etiam malo, dum per ejus comminationem perducit illum ad gratiam. Per mandatum enim gravius delinquit, qui per idem mandatum scit quam grave malum sit illud quod committit. Et hoc est quod in epistola ad Romanos cap. 7. dixerat: *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit: sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat supra modum peccatum peccatum per mandatum.* Ac si diceret: Mandatum non mihi exitit causa mortis, sed ego mihi mortem intuli, qui peccando commisi ea quæ digna sunt morte. Rursum, in epistola ad Galatas cap. 3. Apostolus ait: *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur.* Lex ergo ductrix mortem fuit. Nam idem est pædagogus Græce, quod puerorum ductor Latine. Si ergo lex fuit noster pædagogus, videamus quo nos ducit & constat ex Pauli verbis, quod lex duxit nos ad fidem Christi, ut per illam iustificemur. Si enim ait: *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur.* Si ergo fides Christi est bona, non est possibile quin lex vetus, quæ ad illam duxit, fuerit bona. Non potest esse malus pædagogus, qui bene pueros instruit. Nec potest esse malus ductor, qui ad optatum & præstitutum terminum perducit. Demum ipse veritatis magister & Salvator noster legem verbo & opere commendat. Nam & ejus præcepta servavit circumcensus in templo oblatus, agnum paschalem cum discipulis comedens. Aliis etiam servandam præcepit. Nam leproso mandato præcepit, ut juxta legem Moysi ostenderet se sacerdoti. (Matth. 8.) Et prædicans ipsemet sæpenumero testimonia ex lege & Prophetis citavit. Quod si mala fuisset lex, non tantum honoris illi tribuisset Christus, ut illius testimonio in prædicatione uteretur, sed etiam ad omnes homines in lege sua bene viventem posse salvari, sive Judæus ille sit, sive Sarracenus, sive Paganus. Hujus hæresis patronum nullum hucusque inveni, sed ex relatione aliorum scio illi non defuisse tutorem. Nam Joannes de Torre cremata libro primo de summa Ecclesiæ, capite vigesimo primo dicit fuisse hæreticos, dicentes quemque hominem in sua lege posse salvari, si illam bene servaverit, non tamen aperuit quis fuerit primus illius hæresis auctor, aut quis umquam fuerit illius patronus. Hæc hæresis aperte vincitur per id quod ait Paulus in ea quæ est ad Hebræos epistola cap. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*